



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones
Lectissimorum Casuum**

Diana, Antonino

Antverpiæ, 1645

Confessionis præceptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41753

130 *Confessionis praeceptum.*

ignatum, & insufficientem. Henric. & Sanch. *ibid. res. 121. & p. 5. tr. 14. res. 22.*

38 Non videtur iteranda confessio facta Confessario intruso, qui cum falsis literis se gerit pro Parocho: quia ex errore communi confertur iurisdictione, etiam sine titulo colorato. Pontius & alij 2. Hinc si poenitens sciat Confessarium non habere iurisdictionem, quod ipse Confessarius & populus ignorant, poterit ab illo petere absolutionem, quae validè conferetur. *p. 3. tr. 4. res. 122.*

Vide *Circumstantia. Confessarius.*

Confessionis praeceptum.

1 **S**urdus & mutus tenetur confiteri per signa: imò quando obligatur praeceptum, potest absolvi etiam si nullum peccatum ex eius signo intelligi possit, modò significetur dolor. quod a fortiori procedit in articulo mortis. Fernand. Imò teneretur quiuis in illis casibus confiteri per signa, quando Confessarius esset surdus. Hurtad. *p. 5. tr. 6. res. 3. & 19.*

2 Nullus ob periculum obliuiscendi multa peccata mortalia, tenetur iure diuino ante annum confiteri. Henric. & alij *p. 3. tr. 4. res. 155.*

3 Si quis confessionem fecerit intra annum, implevit præceptum annuæ confessionis, neque tenetur postea in Quadragesimâ, aut in Paschate confiteri; nisi teneatur alio titulo: ut si suscepturus Eucharistiam in Paschate, sibi conscius est peccati mortalis, aut in articulo mortis. Suarez, Vasq. & alij 14. *ibid. res. 81. & p. 2. tr. 17. res. 54.* Quod si aliquis non sit confessus illo anno, & confiteatur initio sequentis, si simul addat etiam aliquod peccatum mortale illo sequenti anno commissum, satisfacit etiam simul præcepto pro illo anno. Hurtad. *p. 4. tr. 4. res. 206.*

4 Si quis in Paschate habeat peccata mortalia, quæ ex iustâ causâ nõ debeat Confessario aperire, non tenetur venialia confiteri: quia nulla lex obligat fideles ad peccatorum venialium confessionem. Suarez. *p. 3. tr. 4. res. 75. & 125.* Contrarium tamen est probabilius. Hurtad. & Granad. *p. 5. tr. 13. res. 9.*

5 Qui in confessione Paschatis post adhibitam sufficientem diligentiam, omisit aliqua peccata per obliuionem, & paulò post confessionem redit in memoriam illorum, potest illa differre in sequentem annum. Suarez & alij 10.

132 *Confessionis præceptum.*

part. 3. tractat. 4. resol. 124.

6 Probabile est, per confessionem in-
validam ex culpâ pœnitentis, præce-
ptum annuę confessionis impleri, atque
adeò vitari pœnam excomm. à Consti-
tutionibus Episcopalibus impositam
transgredientibus hoc præceptum: quia
Ecclesia solùm externum confessionis
actum potest præcipere. Fagund. & alij
5. Contrarium tamen est probabilius.
Suarez & alij 11. *ibid. res. 120.*

7 Qui prævidet, quando obligabit præ-
ceptum, se non habiturum copiam Cō-
fessarij, debet præuenire tempus. Suarez
qui verò non impleuit præceptum an-
nuę confessionis, tenetur primo quo-
que tempore confiteri. Suarez & alij 8.
Tamen negatiua sententia est probabi-
lis. Syluest. & alij 5. Posito autem quòd
teneatur, etsi quò diutiùs illam differat
sine causâ, eò magis peccet; non tamen
peccat toties quoties datâ opportuni-
tate non confitetur. Valent. & Molfes.
ibid. res. 69. 130. & 135.

Confirmatio.

1 **A**D Confirmationem requiritur
chrisma ex oleo & balsamo & ab
Episcopo consecratum. Coninc &
alij